



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Theologiæ Moralis Emendatæ Appendix In LXXIX.
Propositiones A Summis Pontificibus olim damnatas**


[Verlagsort nicht ermittelbar], circa 1680

urn:nbn:de:hbz:466:1-40408

Th. 2170.

§. IV
3.





THEODORE MORRIS
APPENDIX
TO HIS PROPOSITIONS

THEOLOGIAE MORALIS
EMENDATAE
APPENDIX
IN LXXIX. PROPOSITIONES

A Summis Pontificibus olim damnatas,

(Quas vulgò MICHAELI BAIIO adscribunt) nunc primùm
in ordinem digestas & sigillatim refutatas.

NOTA POEMIALIS PRIMA.

1. **C**ensura Pontificum in has Propositiones talis erat: *Quas, inquit, sententias stricto coram nobis examine ponderatas, quamquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent, in rigore & proprio verborum sensu ab assertoribus intento, hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, & in pias aures offensionem immittentes, respectivè..... præsentium autoritate damnamus, circumscribimus & abolemus.*

2. Hanc censuram ita quidam dicuntur intelligere, ut Pontifices admittant, nonnullas dictarum Propositionum aliquo pacto sustineri posse in rigore & proprio verborum sensu ab assertoribus intento: damnent tamen eas (non dicendo quo sensu aut pacto) ut hæreticas, erroneas, &c. Ab horum sententia, si qui sunt tales, nos, bonâ ipsorum pace, ingenuè discimus, quia in Decretis Pontificum ludere aut cavillari non lubet: nec verò his etiam præfidiis eget causa tam bona.

SECUNDA.

1. **E**st alius, qui super dicta censura ita notet. *Additur, inquit, Respectivè: quia non omnes partes censurae in singulas assertiones cadunt, sed cum proportione & proportionata distributione: ita nimirum ut quædam illarum sint hæreticæ (uti sunt notoriè) aliæ erroneæ, suspectæ vel temerariæ: aliæ denique solum scandalosæ, vel etiam tantum in pias aures offensionem immittentes. Quòd nobis rectum videtur.*

2. Pergit quoque & notat: *Apostolicam Sedem non tam fuisse sollicitam de illa particulari applicatione censurae quoad speciem vel gradum ejus; quàm de exterminanda & abolenda tota illa doctrina: ad quod sufficiens fuit illa generalis censura: etiamsi, ait, propria nota & censura uniuscujusque Propositionis per regulas Theologiæ ad singulas applicanda, Doctoribus Theologiæ permittatur. Quòd nec ipsum nobis displicet.*

3. Addit præterea, *Has Propositiones, quæ non apparent ita damnabiles propter nudam doctrinam, propter acerbiterem & audaciam quâ author suas Propositiones adstruebat, & contrarias notabat; rejectas esse. Ac deinde, Hoc esse attentè in nonnullis aliis propositionibus considerandum,*

Collegii Societatis Jesu Paderbornæ 1687

que plures partes involvunt, quod licet una pars precisè sumptâ forsan non esset digna censurâ; prout ibi asseritur & aliis conjungitur, damnabilem Propositionem constituat. Idem nos quoque notari volumus.

4. Monuerat denique idem ille (sed quid dissimulamus? Franciscus Suarez est, de Gratia, Prolegomeno 6. cap. 2. unde etiam Propositiones ipsas desumpsimus) Sensum omnium istarum sententiarum ab assertoribus intentum, posse ex verbis ipsis à Pontificibus relatis satis colligi sine ipsorum integra lectione, & antecedentium & consequentium nova collatione. Et probaverat: Quia, inquit, lectio illorum librorum nobis est prohibita. Ergo interclusa est nobis via & ratio assequendi proprium sensum ab illis intentum, & à Pontificibus damnatum: & sic non possemus ex illa Bulla firmum argumentum contra aliquam opinionem sumere; nempe si consulendi forent ipsi assertorum libri. Cui addere licet, quòd ipsi Pontifices numquam illos assertores nominaverint in Bullis suis. Sed hodie, quos par erat amplius deferre Soarii sui dictis, hi nos compellunt ad excutienda assertorum opera (quæ saltem nobis habere licuit) ut ostendamus, quis reverà ipsorum fuerit sensus, & quàm procul distans ab iis Scholarum Catholicarum sententiis, quas ipsi tanto ardore infectari solent ut in Baio damnatas.

PERTINENS.

Hi quibus solemne est, omnes sibi in Moralibus fortè graves, Baianismi aut Jansenismi insinulare; jam faxo discere incipiant, habere se in istis & aliis adversarios, quibus nihil cum Baio aut Jansenio. Nova bella elegit Deus. Judic. 5.

DE INTEGRITATE PRIMI HOMINIS.

PROP. DAMN.

I. **I**mmortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio. Est in ordine Bullæ 78.

II. Humane naturæ sublimatio & exaltatio in consortium divinæ naturæ, debita fuit integritati primæ conditionis: & proinde naturalis dicenda est, & non supernaturalis. Est 22.

III. Integritas primæ creationis non fuit indebita naturæ humanæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio: quam sententiam repetit & probat per plura capita. Est 27.

IV. A vanis & otiosis hominibus secundum insipientiam Philosophorum excogitata est sententia, Hominem ab initio sic constitutum, ut per dona naturæ superaddita fuerit largitate conditoris sublimatus & in Dei filium adoptatus. Et ad Pelagianismum rejicienda est illa sententia. Est 25.

V. Absurda est sententia eorum, qui dicunt, Hominem ab initio dono quodam supernaturali & gratuito super conditionem naturæ fuisse exaltatum, ut fide, spe & charitate Deum supernaturaliter coleret. Est 24.

NOTA III.

1. **T**radit hanc doctrinam Baius lib. de prima hominis Justitia, per plura capita ac totum penè librum. Opus non est loca singula recensere; quando paucis verbis habemus totius erroris summam cap. 4. post medium. Non minus, inquit, naturæ hominum quam Angelorum est, quod apud eundem psalmistam subditur: Mihi autem adhærere Deo bonum est, &c. Et eadem est de reliquis primæ integritatis partibus demonstratio. Igitur juxta ipsum Naturæ hominis sunt omnes primæ integritatis partes. Naturæ hominis est immortalitas: Naturæ hominis est Justitia Originalis in qua conditus est, & quam ideò ipse naturalem vocat. Et quidem eousque illa Naturæ hominis sunt, ut addere libuerit quæ sequuntur.

PROP.

PROP. DAMN.

VI. **F**alsa est Doctorum sententia, primum hominem potuisse creari & institui sine justitia naturali. Est 79.

VII. Deus non potuisset talem ab initio creare hominem, qualis nunc nascitur. Est 55.

NOTA IV.

I. **Q**uid mirum, cum juxta hunc Authorem *Natura hominis sit justitia illa, totaque adeo in qua conditus est integritas?* Non enim Deus ab initio creare hominem poterat sine eo quod erat *Naturæ ipsius*; seu quod illi jure *debeatur* ut disertè significat *Propositio 2. & 3. supra.* Et hoc sensu rectissimè condemnata est utraque hæc *Propositio.*

2. Alioquin ad ultimam earum quod attinet, certè homo creari non potuit cum culpa originali, *sicut nunc nascitur*: ut ita pateat, hanc sententiam ex iis esse, quas dicunt Pontifices aliquo pacto *sustineri posse*, modo nè *in sensu ab assertoribus intento.*

IMPERTINENS.

Expectaveram, in nuperis adversariorum Thesibus responsum iri decretis Pontificum, quæ aliàs objeceram sententiæ ipsorum, de sequenda opinione qualibet verè probabili. At verò illi nihil, præter loca duo à Fagnano & Sinnichio. Pace ipsorum dixero. Non hic queritur, quid dixerit Sinnichius aut Fagnanus (quamquam nihil illi dixere, quod istos hac in parte juvet) sed quid dici venterint Alexander & Innocentius.

DE PECCATO ORIGINALI EJUSQUE POENA.

PROP. DAMN.

I. **O**mne scelus ejus est conditionis, ut suum authorem, & omnes posteros eo modo inficere possit, quo inficit prima transgressio. Est 52.

NOTA V.

I. **V**erba sunt Baji lib. de Peccato Originis cap. XIII. ubi quidem ait, *Omne scelus ejus esse conditionis, ut suum authorem & totam ejus posteritatem eo modo inficiat, quo inficit prima hominis transgressio.* Et probat. *Quia, inquit, qui facit peccatum, meretur servus peccati fieri, & servus factus, non nisi servos sibi similes generare: quod enim est ex carne, caro est.*

2. Ratiuncula futilis & viro tanto indigna; fundata in Constitutionibus Civilibus circa Servos. Quas si Deus in traductione peccati originalis usquequaque servaret, jam e converso ex parentibus bonis & justitiæ liberis, liberi quoque hoc est justi & sancti Liberi nascerentur: nam liber meretur ut liberos sibi similes generet. Resutationem erroris habes ex S. Thom. 1. 2. q. 81. art. 2.

PROP. DAMN.

II. **Q**uantum est ex vi transgressionis, non tantum meritorum malorum à generante contrahunt, qui cum minoribus nascuntur vitiis, quam qui cum majoribus. Est 53.

NOTA VI.

I. **V**ideretur hæc *Propositio à delatoribus errorum Baji decerpta ex ejus libro de Pecc. Orig. cap. VI.* plerique enim termini ibidem habentur. *Questus autem dicitur olim Bajus, fecisse hoc eos oscitantius, sibi que sententiam attribuisse, cujus contrariam*
A 2 illic

illic apertè tradiderat. Et reverà doctrina illius ibi hæc est : Quantum est ex vi *primæ* transgressionis , omnes homines æquè multum vitiorum nascendo contracturos fuisse , nisi Deus aliter pro sua providentia disposuisset.

2. Verumtamen reipsa tradidit errorem hic damnatum , quatenus in hac Propositione dicitur : *Ex vi transgressionis* , nec additur , *primæ*. Sic enim coincidit hæc Propositio cum eo quod ille eodem cap. dicit , *Peccatum originis non in omnibus actu* (nota , *Actu* , quod Propositio vocat , *ex vi transgressionis*) *etsi non reatu , esse æquale , sed in aliis minus in aliis majus*. Ratio illius est , quod , ut ipse ait , *Concupiscentia & libido carnis , quæ sunt partes peccati originalis , non sicut in omnibus nascentibus æqualis , sed in aliis major , in aliis minor , sicut temporis progressu in infantibus manifestissimo experimento comperitur*. Et quidem hanc concupiscentiam & libidinem cap. X. probat esse *merita mala in non renatis , & alibi veram legis inobedientiam* : ex quo sequitur quidquid habet Propositio damnata.

3. Pro refutatione S. Thomas 1. 2. q. 82. art. 4. ad 4. ostendit , Concupiscentiam quæ in peccato originis pro materiali se habet , in omnibus esse æqualem ; etsi ob diversam hominum complexionem non æqualiter vires exerat suas.

P R O P. D A M N.

III. **A**D rationem , & definitionem peccati non pertinet voluntarium : nec definitionis questio est , sed cause & originis , Utrum omne peccatum debeat esse voluntarium. Est 46.

IV. Unde peccatum originis verè habet rationem peccati sine ulla ratione & respectu ad voluntatem , à qua originem habuit. Est 47.

N O T A VII.

1. **H**abet hanc doctrinam , & pleraque etiam verba , Baius eodem lib. de Peccato Originis cap. VII. Ratio ejus ibidem his verbis concipitur : *Quemadmodum* , inquit , *de abortivo differentes , homine sit an non ; non inquirimus an à Deo ducat originem (quamquam homo esse non possit , nisi quod à Deo sit) sed an animam habeat rationalem , quod ad ejus definitionem propriè pertinet : sic de actu aliquo differentes , an ex suo genere sit peccatum ; non hoc inquirere debemus , an sit à voluntate , vel à qua sit voluntate profectum ; sed an ex suo genere sit divinorum inobedientia mandatorum ; quæ peccati propria definitio est. Quia quidquid ejusmodi est , undecumque sit hoc ; sine ambiguitate ex sua ratione peccatum est. Ac paulò post addit : Ideò sciendum est , omne id quod revera secundum propriam rationem peccatum est , undecumque ducat originem ; tantum quia inest , veraciter illi imputari , si vel actu vel habitu illi domineatur , sic ut non gerat contrarium mentis affectum.*

2. Refutationem sui erroris habebat author in verbis quæ initio ejusdem capituli ex Augustino citaverat : *Frustra putas* , inquit hic Juliano , *idè in parvulis non esse delictum , quia sine voluntate , quæ in eis nulla est , esse non potest : hoc enim rectè dicitur propter proprium cuiusque peccatum , non propter primi peccati originalis contagium : quod tamen & ipsum à mala voluntate primorum hominum sumpsit exordium*. Quibus verbis S. Doctor ostendit , peccatum esse posse sine voluntate , nempe propria , quæ in parvulis nulla est : sed nè in his quidem peccatum poni aut omninò concipi posse , nisi cum respectu ad voluntatem primorum parentum , unde sumpsit exordium.

P R O P. D A M N.

V. **P**eccatum originis est habituali parvuli voluntate voluntarium , & habitualiter dominatur parvulo , eique non gerit contrarium voluntatis arbitrium. Est 48.

VI. Et ex habituali voluntate dominante fit , ut parvulus recedens sine regenerationis Sacramento , quando usum rationis consecutus erit , actualiter Deum odio habeat , Deum blasphemet , & legi Dei repugnet. Est 49.

N O T A

NOTA VIII.

1. **P**rima harum Propositionum desumpta videtur ex eodem capite VII. libri de Peccato Originis sub finem, ubi Baius rationem cur originale parvulo imputetur, petit ex eo, quod illi, si non actu, saltem habitu dominetur, sic ut non gerat contrarium mentis affectum. Quod falsum est, quia imputari non potest sine respectu ad voluntatem actualem, ut jam supra dictum est, & tamen Baius negat. Vide sis etiam cap. XVII. in fine.

2. In altera (quam equidem apud Baium non inveno, cum fortè sit alterius Assertoris) excedit ista exaggeratio voluntatis habitualis in parvulo non baptizato: quasi nimirum per illum parvulus habitu voluntatis ita comparatus sit, ut mox ac utitur ratione, prorumpat in actuale Dei odium, ejusque blasphemiam, ceteraque id genus horrendissima & omnium gravissima peccata: quod nemo alius unquam finxit. Aversam quidem à Deo, & ad bonum commutabilem conversam, voluntatem gerat ille: sed ad Dei odium, ad blasphemiam, ut mox prorumpat, quid necesse?

PROP. DAMN.

VII. **N**emo præter Christum est absque peccato originali: hinc B. Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesque ejus afflictiones in hac vita, sicut & aliorum justorum, fuerunt ultiones peccati actualis, vel originalis. Est 73.

VIII. Omnes omnino afflictiones justorum, sunt ultiones peccatorum ipsorum: unde Job, & Martyres, quæ passi sunt, propter sua peccata passi sunt. Est 72.

NOTA IX.

Damnatur hæc Propositiones, ait Suarez, quia in primis temerè in iis dictum est, omnes afflictiones Justorum & Martyrum fuisse ultiones peccatorum suorum. Deinde quia in hoc æquiparatur B. Virgo ceteris sanctis; & quidem quasi in dubium revocando, an non habuerit peccatum actuale. Non autem damnatur prima propter nudam assertionem de Conceptione B. Virginis in originali peccato. Ita ille: nec verbum addo, nisi quod nec has sententias inveniam in Baio.

PERTINENS.

Quod hic Suarez notat, in hisce propositionibus censuratis contineri subinde partem aliquam à censura immunem, ideo est, quia Pontifices censurabant propositiones istas, planè ut erant à delatoribus oblata: sed jam supra in aliis Thesis monuimus, propositiones morales à nobis oblata INNOCENTIO XI. per censors ab illo constitutos variis in locis mutatas fuisse, sublataque inde eas partes quas nolent censuræ obnoxias. Quod serid posteros monitos volumus.

DE CONCUPISCENTIA ET EJUS MOTIBUS.

PROP. DAMN.

I. **C**oncupiscentia in venatis relapsis in peccatum mortale, in quibus jam dominatur, peccatum est, sicut & alii habitus pravi. Est 74.

NOTA X.

1. **N**eque hæc reperitur apud Baium, neque penè ulla (quod semel monere satis sit) earum quæ in Bulla sequuntur post numerum LX. Memini vidiſſe Romæ exemplar harum

harum Propositionum vetus MS. in quo priores dicebantur è libellis excerptæ , posteriores verò tales quæ vulgò circumferrentur , fortè in Thesibus , &c.

2. Pendet tamen eadem à Superioribus. Si namque idè Concupiscentia in non renatis peccatum sit , quia dominatur illis , nec hi contrarium gerunt voluntatis arbitrium ; jam etiam in renatis peccatum eam esse oportet , ex quo iterum per relapsum iis dominatur , nec amplius ipsi contrarium voluntatis arbitrium habent.

P R O P. D A M N.

II. **C**oncupiscentia , sive lex membrorum , & prava ejus desideria , quæ invitè sentiunt homines , sunt vera legis inobedientia. Est 51.

III. Prava desideria , quibus verè non consentit , & quæ homo invitè patitur , sunt prohibita præcepto , Non concupisces. Est 50.

IV. Motus pravi concupiscentiæ sunt pro statu hominis vitiatè , prohibiti præcepto , Non concupisces. Unde homo dissentiens & non consentiens , transgrediur præceptum , Non concupisces , quamvis transgresso in peccatum non deputerur. Est 75.

V. Quamdiu aliquid concupiscentiæ carnalis in diligente est , non fatit præceptum , Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Est 76.

N O T A X I.

I. **P**rimam harum Propositionum tradit Baius l. de Peccato Originis cap. XV. ut patet ex ipso capituli titulo. Ubi si dixisset , concupiscentiam seu legem membrorum , repugnare legi , esse contra legem , aut quid aliud his simile ; rectè utique locutus esset : sic enim loquitur Apostolus , dicens eam repugnantem legi mentis ; item , carnem concupiscere adversus spiritum : unde etiam concupiscentia non est ex Deo , sicut alius testatur ; eamque idem diligè vetat , cum ait , nec mundum diligendum , nec ea quæ in mundo sunt ; in mundo autem esse declarat triplicem illam concupiscentiam : quin & eandem odisse & impugnare præcipimur , quia spiritus concupiscere debet adversus carnem.

2. Verum malè locutus est , cum dicto cap. & sequenti contendit , concupiscentiam vocandam esse veram legis inobedientiam , quod neque Apostolorum quisquam nec Patrum dixit , uti patet ex testimoniis quæ ipse allegat. Nec verò quisquam jure dicere potuit. Inobedientia enim non est , si nemo sit inobediens. Atqui dum peccatum quod habitat in nobis , operatur nobis resistantibus malum , nullus est inobediens (non nos , quia non ego operor illud , ait Apostolus : neque ipsum peccatum seu concupiscentia , quæ ipsum malum juxta eundem operatur ; quia non est legi Dei subiecta , neque legis ullius capax :) ergò nulla est legis inobedientia.

3. Si autem juxta Apostolum non ego operor illud malum (pravorum desideriorum , quæ invitè patior) sed quod habitat in me peccatum ; igitur propriè & in rigore prohibita non sunt , sic nimirum ut sint vera legis inobedientia , ut voluit Author : non magis quam prohibita sint quæ bruta faciunt , quæque si ab homine fierent , peccata forent , ut vagus concubitus , &c. Quamquam respectu hominis nondum lapsi omnia prava desideria prohibita fuerunt : quia quæcumque talia in ipso facta essent , ipsemet illa operaturus erat , non autem habitans in ipso peccatum , quod nullum fuit. Et hoc sensu quandoque SS. Patres locuti videntur : dicentes etiam , legem Dei per lapsum hominis non esse mutatam , quod quidem verum est : sed hoc mutatum est , ut quod antea ipse homo operatus fuisset , jam non ipse operetur illud , sed quod habitat in ipso peccatum. Porro secundam hanc Propositionem tradit Baius eod. lib. cap. XI.

3. Hinc autem collige , quàm in primis malè dicat Propositio inter has tertia , Hominem talia sentientem nec consentientem , transgredi præceptum : sed pejus adhuc quod sequitur ; nempe hanc transgressionem in peccatum non deponari ; qui modus loquendi non poterat fidelium

fideliū aures non offendere, ex quo Sectarii eādem phrasi hæreses quasdam suas exprimere fuerant. Nec ab simili ratione quarta quoque Propositio refutatur, de præcepto diligendi Deum ex toto corde: quā nimirum fideliū auribus denuò error ille ingeritur, quasi veram legis inobedientiam is admitteret, quem ampliùs & perfectius Deum diligere adhuc veat, illud quod habitat in ipso peccatum.

P E R T I N E N S.

Rectè quidam modernorum adstruit, eum qui merè ad evitandam incontinentiam, nulloque amore prolis aut justitiæ maritalis, conjugii commiscetur; reverè obsequi concupiscentiæ, eique succumbere. Peccatum id veniale esse, asserit disertè omnis flos delibatus Patrum, post Apostolum idem concedentem secundùm indulgentiam, quæ est de venialibus, ait, S. Thomas. Neminem Sanctorum id disertè negare, probavit Theologus eruditus, qui nuper in Theses suas de usu Matrimonii congescit quiddam ex antiquitate pro sententiâ suâ nostræ contraria potuit. Et tamen ne in speciem quidem ullum veterum testimonium attulit, quo antiquissima illa veritas negaretur. Probavit dumtaxat, pro remedio incontinentiæ iniri conjugium posse: quod ultro illi dederamus. Consequentiam quam inde facit, mox expendemus.

D E L I B E R T A T E E T N E C E S S I T A T E.

P R O P. D A M N.

- I. **Q**uod voluntariè fit, etsi necessitate fiat, liberè tamen fit. Est 39.
II. Libertatis modus qui est à necessitate, sub libertatis nomine non reperitur in scripturis, sed solum libertatis à peccato. Est 41.

N O T A X I I.

1. **Q**uod voluntariè fit, etsi necessitate fiat, haud dubiè fit aliqua libertate, nimirum quam vocant à coactione, seu essentiali voluntati: & hoc pacto sustineri posset Propositio. Sed Baius ultrà tetendit, & libertatem à necessitate quæ propriè est libertas, nimium elevavit; quam idèò lib. de Libero Arbitrio cap. V. libertatem vocat *impropriè* & secundùm analogiam: omnemque vim facit in solâ libertate à servitute peccati, tamquam propriè dictâ & Evangelicâ libertate. Hinc cap. IV. dicit, *Angelos felici quâdam necessitate constrictos, Deum atque justitiam immobiliter diligere*: & tamen postea cap. VI. eosdem *liberrimos* vocat, *etiam in eo quod justitiam diligunt*. Quibus verbis satis tradit Propositionem præsentem.

2. Alteram verò addit cap. VII. à medio ad finem: in qua rursus spirat idem fastidium libertatis à necessitate præ libertate à servitute peccati: innuitque priorem illum modum libertatis, nimirum à necessitate, idèò solum suscipiendum & defendendum, ut obviam eatur hæreticis, omnia ex necessitate evenire contendentibus. Saltem nusquam toto illo libro dictum modum libertatis requirit ad merendum & demerendum. Notabilia sunt hæc ejus verba C. VIII. Nam licet, inquit, Doctores Catholici adversus hæreticos liberum arbitrium sæpius in eo intellexerint, quod possit omittere id quod facit, hoc est, in eo quod in suis actionibus nulla sit necessitate constrictum, sicut etiam intellexerunt Philosophi, qui posteriorem libertatis modum, qui nobis non nisi per Christum contingit, ignoraverunt: attamen Augustinus, secutus Evangelium, etiam liberum arbitrium in eo intellexit, quod nullius extraneæ potestatis servituti esset obnoxium, sive in potestate haberet id quod agit, omittere, sive non. Ita ille: conformiter iis, quæ jam diximus.

P R O P. D A M N.

III. *S*ola violentia repugnat libertati hominis naturali. Est 66.

IV. *H*omo peccat etiam damnabiliter in eo quod necessariò facit. Est 67.

N O T A XIII.

1. *H*æc alia est via erroris ab ea quam Baius insisteret : nec ejus videntur hæ Propositiones duæ. Sicut enim ipse solam ferè libertatem à peccato urgebat ; ita harum auctor solam libertatem à coactione seu violentia , qualis v. g. juxta Baium est in *Angelis & hominibus Beatis Deum & justitiam diligentibus* ; Item juxta eundem in hominibus generatim , *sibi bene esse volentibus & miseriam fugientibus* : in quo , ut ait cap. IV. suprâ citato , *non ducuntur liberâ voluntate , quia hos rationales motus necessariò retinent , aut in actu aut saltem habitu & virtute*. Unde non solum discimus , in quo consistat error hîc damnatus , nempe , damnabiliter hominem peccaturum , etsi malum eâ tantum libertate faceret , quâ homines sibi bene esse volunt & miseriam fugiunt ; sed etiam videmus exemplum , quod multi quærunt , in quo nempe libertatem à coactione reperire sit absque aliâ istâ à necessitate.

2. Sed , inquis , non aliam passim libertatem defendit Augustinus , quàm istam à coactione & violentia , Fateor , cum adversus Pelagianos ageret , unicè eum penè niti ut hanc tueatur. Sed quid mirum , cum plus non exigeret adversariorum importunitas ? Tam insulsi hi erant , ut putarent per necessitatem gratiæ , ejusque efficaciam , qualem S. Doctor adstruebat , prorsus induci violentiam & coactionem. Unde libertatem à coactione adstruxisse , eamque cum mysterio gratiæ conciliasse , id Augustino vicissè erat. Legantur ejus disputationes contra hos hæreticos , & deprehendatur quod diximus.

P R O P. D A M N.

V. *D*efinitiva hæc sententia , *Deum homini nihil impossibile præcepisse , falsò tribuitur Augustino , cum Pelagii sit*. Est 54.

N O T A XIV.

1. *H*abet hanc Baius lib. de Peccato Originis cap. XII. verba sunt : *Quamquam communis animi conceptio , quâ dicitur Deus homini nihil impossibile præcepisse , sensu aliquo legitimo , quem statim explicabimus , verissima sit ; attamen definitiva sententia quæ D. Augustino adscribitur , Augustini non est , sed Pelagii in Epistola ad demetriadem , &c. Et mox infra : Dico igitur , communem animi conceptionem , quâ dicitur , Deum homini nihil impossibile præcepisse , de homine recto , qualis erat cum Deus ab initio mandata & præcepta illi apposuit , esse verissimam ; quia in illo statu ex viribus sibi in sua creatione donatis , absque omni impedimento & difficultate præstare poterat , quidquid Deus illi præceperat , & quod veterat evitare. Ac iterum : Quod igitur consideratione primæ integritatis , & respiciendo ad vires homini in sua creatione collatas , verissimè dicitur : Deum nihil homini præcepisse impossibile ; hoc de homine corrupto dici non potest , nisi respiciendo ad divinum auxilium , quo Sanctus Dei possibile , imò facile efficitur , quod per lapsum viribus humanis factum est impossibile. In qua postrema quidem sententia ad viam Baius redire videtur. Sed tamen sic loqui nec debuit nec potuit , ut quia sine Dei auxilio quædam quæ Deus præcepit , non possumus ; idè dicat , ad primam dumtaxat integritatem pertinere , quod Deus impossibilia non jubet , adèque nec Augustini sententiam eam esse. Esto enim non eo loco , quem sibi objecerat ipse , ita loquatur Augustinus , sed Pelagius ; tamen plurimis aliis locis S. Doctor idem definitivè affirmat ; atque in primis illo famoso , quem etiam S. Synodus Tridentina suum fecit , quemque ipse Baius paulò post citat : *Deum impossibilia non jubet ; sed jubendo monet , & facere quod possis , & petere quod non possis*.*

2. Quibus

2. Quibus in verbis refutatam habemus istam planè vitandam, & à Patribus anathematizatum, nec ullo prætextu excusandam vocem : *Dei præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia* : nam dicit Augustinus, *Deus impossibilia non jubet* : Etsi eodem Augustino teste verissimum sit, quædam aliquando Deum jubere *quæ non possis*, idèdque jubendo petere monearis ut *possis*. Absit enim ut quis illud, *quod possis*, & *quod non possis*, ita explicet, ut primi sensus sit, *Quod FACILE possis*; alterius verò, *Quod non FACILE possis*. Nescio sanè quo facto undique nobis hodiè irrepant in decreta Ecclesiæ ista : *FACILE. Commodè*, & his similia. Certè Pelagiani per talia quoque doctrinam Ecclesiæ interpolabant : uti Africana Concilia, & novissimè Tridentinum sess. 6. Can. 2. annotavit.

I M P E R T I N E N S.

Nunc ad consequentiam, quam nos diximus expensuros. Negamus sequi : *Licitè ex motivo vitandæ incontinentiæ initur conjugium* : Ergò licitè ex eodem solo motivo postèa actus conjugii exercetur. Ratio est, quia qui tali motivo conjugium init, non necessariò ita dispositus est, ut velit ex eodem motivo postèa conjugio uti; sed si animo planè casto id faciat, sic apud se statuit. Quia fragilitati meæ timeo à sordibus incontinentiæ, illi me statui dedam, intra quem minus sit earum periculum : in illo enim cum timore Domini officium conjugis exercendo posteritatis dilectione, aut etiam subindè conjugale debitum persolvendo; adjuvante præsertim gratiâ tanti Sacramenti, liber ero à desiderio extra conjugium nefariè querendi, quod intra illud licitè percipio. At mox iterùm ad hanc materiam revertemur; quando alii jam integras de ea Theses concinnant.

D E C H A R I T A T E.

P R O P. D A M N.

I. **O**mnis amor creature rationalis, aut vitiosa est cupiditas quâ mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas, quâ per Spiritum Sanctum in corde diffusa, Deus amatur. Est 38.

N O T A X V.

1. **E**st hæc Propositio ex libro Baii de Charitate cap. VI. ubi ex sententia (ut putat) Augustini affirmat, *Omnem amorem creature rationalis aut vitiosam esse cupiditatem quâ mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur, dum ait, Nolite diligere mundum neque ea quæ in mundo sunt, aut laudabilem charitatem, quâ Deus amatur, quam nisi Deus ipse non donat.* Et cap. V. post medium disertè indicat se de ea loqui Charitate, quæ diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis.

2. En verò sensum illius ab ipsomet disertissimè explicatum cap. IX. (etsi eum jam nunc satis verba illa explicent : *Diffusa in cordibus per Spiritum Sanctum.*) En lumen ingens pro explicatione hujus & tot aliarum sequentium Propositionum. In fine igitur capituli noni, qui simul est finis totius libri de Charitate, ostendens quid toto libro per charitatem intelligi velit, ita concludit. *Quando, inquit, Martyres magna illa mandata fecerunt; magnâ utique voluntate, hoc est, magnâ charitate fecerunt. Hanc Petrus non habuit, quando timore Dominum ter negavit; & tamen quamvis parva, tamen non deerat, quando dicebat Domino : Animam meam pro te ponam; putabat enim se posse, quod se velle sentiebat. Sed imperfectam ejus charitatem notabat Christus, dum diceret : non potes me sequi modò. Patet igitur charitatis initium tunc homini conferri, quando ab infidelitate aut mala voluntate conversus, incipit velle bonum, id est, velle facere Dei mandatum, què priùs volebat malum, id est, non Dei, sed suum facere placitum, quod nihil aliud quàm concupiscere est, atque Charitatem tunc rectè nuncupari quando Deo coöperantè,*

C

tantum

tantum accipit incrementum, ut & mandata Dei faciat, & cupiditates, quæ prius eum in sceleribus detinebant, vincat, sive hæc per Baptismum, aut reconciliationem remissa fuerint, sive non. Ita ille.

3. Faceffant itaque controversiæ, cessent rixæ. Charitas Baio tunc demum nuncupatur, quando Deo coöperante tantum accipit incrementum, ut & mandata Dei faciat, & cupiditates quæ prius eum in sceleribus detinebant, vincat. Et quidem Charitas illa infirma Petri volentis pro Christo animam ponere, quam alii affectu super omnia vocant, non est huic Authori Charitas; sed ad summum aliquod charitatis initium aut debile incrementum. Certe non omnis amor creaturæ rationalis est vel talis Charitas, vel vitiosa cupiditas. Neutrum enim in primis Charitas Petri fuit.

P R O P. D A M N.

II. **C**atechumenus iuste, rectè, & sanctè vivit, & mandata Dei observat, & legem implet per charitatem, ante obtentam remissionem peccatorum, quæ in Baptismi lavacro demum percipitur. Est 33.

III. Charitas perfecta, & sincera quæ est ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, tam in Catechumenis quam in penitentibus potest esse sine remissione peccatorum. Est 31.

IV. Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum. Est 32.

V. Homo existens in peccato mortali, sive in reatu æternæ damnationis, potest habere veram charitatem, & charitas etiam perfecta potest consistere cum reatu æternæ damnationis. Est 70.

VI. Per contritionem, etiam cum charitate perfecta, & cum voto suscipiendi Sacramentum conjuncta non remittitur crimen extra casum necessitatis, aut martyrii sine actuali susceptione Sacramentorum. Est 71.

N O T A X V I.

JAm nunc; puto, patet, quid damnatum sit in istis Propositionibus, sumptis ex cap. VII. dicti libri de Charitate, cui titulus est: *Quod is animi motus, qui charitas dicitur, remissionem peccatorum præcedere possit.* Ex mente enim Baïi is demum animi motus rectè Charitas nuncupatur, qui Deo coöperante tantum accipit incrementum, ut & mandata Dei faciat, & cupiditates quæ prius in sceleribus detinebant, vincat; qui numero 15. ejusdem capituli vocatur *legis plenitudo*: imò quo in fine numeri 8. dicuntur Martyres magna Dei præcepta facientes, ad vitam pertingere æternam. Hanc Charitatem Author ille putavit cum reatu æternæ damnationis posse consistere, si Sacramentum, Martyrium, & necessitas abessent: nec enim toto illo capite bene longo ullam Charitatis perfectionem excipit, quæ reatum peccati mortalis & æternæ damnationis secum pati non possit.

P R O P. D A M N.

VII. **D**istinctio illa duplicis amoris, naturalis, ut, quo Deus amatur, ut author nature, & gratuiti, quo Deus amatur, ut beatificator, vana est, & ad illudendum sacris literis, & pluribus veterum testimoniis excogitata. Est 34.

VIII. Amor naturalis, qui ex viribus nature exoritur, ex sola Philosophia, per elationem præsumptionis humana, cum injuria Crucis Christi defenditur à nonnullis Doctoribus. Est 36.

N O T A X V I I.

TRadit has Propositiones Baïus eod. lib. de Charitate cap. IV. & V. Censuram. utraque meruit propter acerbitatem & audaciam, de qua Suarez suprâ, Notâ 2. Nec enim opinioniones quas Baïus tam acerbè notat, tam acri censurâ dignæ erant: habebant namque non contemnendos authores, & eas Ecclesia tolerabat.

P E R,

PERTINENS.

Jam supra monuimus, esse homines, qui quosvis sibi non obsequentes mox Baianismi vel Jansenismi insimulent. Exemplo sit is, cujus hæc in fine cujusdam Pertinentis sunt verba, utique omni prorsus sensu & mente vacua, nisi adversum me librantur. Atque hæc, inquit, bellissimè consonant cum censuris Pontificum contra Baianam 31. 32. 33. 71. Ita ille. Quem refutare, se eo loco intelligerem: nam quid velit discursu illo quem præmittit, prorsus non capio; puto quod nec alius quisquam. Hoc unum hic à me habeat: uti recedat ille tam ingenuè ab erroribus damnatis Authorum quos novit, quam ego à Baio.

DE VIRTUTIBUS IMPIORUM.

PROP. DAMN.

I. **O**mnia opera infidelium sunt peccata, & virtutes Philosophorum sunt vitia. Est 26.

NOTA XVIII.

1. **A** pud Suarezium, ita conceptus erat hic Articulus: *Et ad Pelagianismum rejicienda est ista sententia: Omnia opera, &c.* sed verum est, hoc principium potius ad finem pertinere articuli 25. qui in ordine Bullæ hunc præsentem præcedit, & cui illud idè suo loco anneximus. Sumptus est articulus ex lib. Baii de Virtutibus Impiorum, præsertim cap. IV. & V.

2. Præfatus quidem erat hic scriptor cap. II. (quo sensu, nec satis intelligo, nec disquiro) non de Officiis sibi questionem esse. Et tamen in ipso mox titulo capituli IV. disertè Officia accusat, aitque, quod honestatis officia cum in Deum non referuntur, non sint virtutes, sed (nota) vitia virtutes imitantia. Idem in ipso capite iidem penè verbis affirmat. De virtutibus vero Philosophorum in titulo capituli sequentis in eundem sensum addit: *Quod virtutes impiorum; quæ in Deum non referuntur, non idè ab Augustino negantur esse virtutes quia non salvant; sed (nota iterum) quia vitia sunt & damnant.* Ut nobis proindè magnopere laborandum non sit, quo pacto ista illius sententia proferri meruerit. Non enim officia ipsa damnarunt, aut damanda fuerunt, quæ infideles Philosophi non ad Deum retulerunt; utpote quæ Augustinus, dona Dei nonnumquam vocat: sed quod de iis non in Domino gloriarentur, nec ad eum illa referrent cujus dona erant, hoc S. Doctor peccatum dixit, & quidem sic ut solus impius neget esse peccatum.

3. Sed magis perspicuè exponenda est sententia Sancti Doctoris, quam Baio quia non cepit, capus est. Sæpè ille ita locutus fuerat, ut diceret peccatum esse, quod non fieret ex fide: & rectè, quia cum Apostolo loquebatur. Hoc sensu etiam peccati accusare visus erat opus hominis infidelis, qui v. g. nudum operiret. Sed id cum objectaret Julianus, Viro Sancto occasionem dedit mentem suam disertissimè aperiendi. *Si gentilis nudum operuerit, numquid quia non est ex fide peccatum est?* Juliani verba sunt: ad quæ ita Augustinus. *Prorsus in quantum non est ex fide peccatum est.* Ostendere incipit per illud in quantum, cum disjunctiōe loquendum; additque: *Non quia per se ipsum factum, quod est operire nudum, peccatum est; excusat officium, quod alibi ab eo diximus donum Dei vocari: Sed de tali opere non in Domino gloriari, solus impius negat esse peccatum.* Accusat ergo id quod officium comitatur, nempe quod gentilis ille de suo opere non in Domino gloriatur. Explicat quod confusius dixerat (peccatum esse quod gentilis facit) nempe in unum confundendo officium cum defectu relationis; cum verum sit, copulatum ex utroque esse peccatum: etsi alterum illorum peccatum non sit; sed moraliter seu ex officio bonum.

PROP. DAMN.

II. Infidelitas purè negativa, in his, quibus Christus non est predicatus, peccatum est. Est 68.

NOTA XIX.

Utrum non reperitur hæc apud Baium: neque hodie authorem habet aut sequacem. Infidelitas purè negativa eorum, quæ necessariò creduntur necessitate mediè ad salutem, damnat quidem (& de his infidelibus Augustinus ait, non adeò excusandos, ut sempiterna igne non ardeant) sed non quia peccatum est.

PROP. DAMN.

III. In omnibus suis actibus peccator servit dominantì cupiditatì. Est 40.
IV. Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est. Est 35.

NOTA XX.

Qvis crederet, hanc Propositionem primam, è qua altera sponte sequitur, reipsa haberi apud Baium? Habetur tamen; & quidem totidem penè verbis. Dæmones, inquit de lib. Arbit. cap. VI. in omnibus suis actionibus & desideriis miserissimi sunt suæ iniquitatis & male voluntatis, quam deponere non possunt, servi. Similiter (nota) & impii homines, quamdin non sunt à peccati dominio per Filium liberati, servi sunt peccati: quia in omnibus suis actibus dominantì peccato serviunt. Ita ille: quæ quidem, puto, refutatione non egent.

PROP. DAMN.

V. In eodem libro (de meritis operum 2.) sæpius repetit, quod non est verè legis obedientia quæ fit sine Charitate. Est 17.

NOTA XXI.

Habetur id cap. I. dicti libri: Quæcumque, ait, sine Charitate sunt, etiamsi apud homines speciosa videantur; tamen apud Deum simulata tantùm, & non vera sunt legis obedientia. Ubi monere quidem possemus, quid ille more suo intelligat per Charitatem; nempe ut paucis antè verbis eodem loco dixerat; Plenitudo legis est charitas: verùm quod præcipuè hic notandum est; toto isto libro pugnat Baius, ut cuilibet operi quo legi Dei obeditur, asserat meritum vitæ æternæ (ut alibi ostenditur) esto operans non sit Filius Dei. Nequis tamen hoc extenderet ad opera impiorum, qui videntur exterius legem Dei in aliquo servare, v. g. honorando parentes; idè ait, non esse legis obedientiam nisi fiat ex Charitate. Quod falsum est: quia legi Dei de honorandis parentibus verè obeditur, etiam ubi finis istius legis non habetur, quæ est Charitas; adeòque ubi nec legi Charitatis obeditur. Cave sis enim hanc Propositionem ejusque censuram ita intelligere, ut decernant Pontifices, toti legi Dei obediri posse, si præceptum Charitatis omittatur.

PERTINENS.

Docere Augustinum, Omnia opera infidelium esse peccata, scripsit Baius, & post illum operosius Iprensis noster Jansenius. Utrumque secuti sunt duo quos novi Theologiæ Professores, alter in Thesibus publicis circiter à decennio, alter non ita pridem in dictatis suis. Primi id scripserunt, ut probarent eam sententiam veram esse: ultimi verò, ut inde concluderent, nisi reverè

Verè fecerunt, vel Augustinum Restrictione mentali usum, vel aliquam ejus doctrinam damnatam esse. Male omnes: sed hi aliquandò petulantius in Augustinum.

DE OPERIBUS SINE GRATIA FACTIS.

PROP. DAMN.

I. **L**iberum arbitrium sine gratia, & Dei adjutorio, non nisi ad peccandum, valet. Est 28.

NOTA XXII.

Titulus est capitis VIII. lib. 2. de Virtutibus Impiorum: Quòd liberum arbitrium sine Dei adjutorio non nisi ad peccandum valeat. Quam doctrinam Baius infert ex iis, quæ paucis antè paginis de operibus infidelium docuit, atque ita etiam eodem sensu: errans profectò in eo, quod sine gratiæ Dei adjutorio non admittat officia honestatis, nisi quæ vitia sint & damnabilia; cum Augustinus admittat talia, quæ quodam sensu generaliori etiam *Dona Dei* vocentur, atque ita ipsa per se peccata non sint, etsi adjunctum illis, *Non in Domino gloriari*, peccatum sit, & ita de copulato ex utroque (sensu quidem Augustiniano) rectè dicatur, peccatum esse: quo sensu quoque cetera, quæ de libero arbitrio sine gratia Augustinus pluribus in locis dicit, verissima sunt.

PROP. DAMN.

II. **C**um Pelagio sapit, qui boni aliquid naturalis, hoc est quod ex naturæ solis viribus erium ducit, agnoscat. Est 37.

III. Cum Pelagio sentiunt, qui textum ad Roman. 1. Gentes, quæ legem non habent, naturaliter, quæ legis sunt, faciunt; intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus. Est 23.

IV. Non solum fures hi sunt, & latrones, qui Christum viam, & ostium veritatis, & vitam negant, sed etiam quicumque aliunde, quàm per Christum in viam justitiæ, hoc est, ad aliquam justitiam conscendi posse dicunt, aut tentationi ulli sine gratiæ ipsius adjutorio resistere posse hominem, sic ut in eam non inducatur, aut ab ea superetur. Est 30.

V. Non nisi Pelagiano errore admitti potest usus aliquis liberi arbitrii bonus, sive non malus, & gratiæ Christi injuriam facit, qui ita sentit, & docet. Est 68.

NOTA XXIII.

Partim hi articuli ob acerbiteriam censuræ censurati sunt, partim etiam quia forè non nulli impingunt in doctrinam Notæ præcedentis.

IMPERTINENS.

Obiectum erat cuidam, quod circa adulterium cum conjugata consentiente marito, irreverentius loqueretur de Augustino, quasi hic damnatam sententiam ut dubiam tenuisset. Respondet, se modò dixisse: Erravit, seu verius ignoravit. Sic nimirum talia retractantur.

DE JUSTITIA, JUSTIFICATIONE, &c.

PROP. DAMN.

I. **J**ustitia quæ justificatur per fidem impius, consistit formaliter in obedientia mandatorum, quæ est operum justitiæ, non autem in gratiæ aliqua animæ infusa, quæ adoptatur homo in Filium Dei,

D

Secundum interioyem hominem renovatur, ac divina nature confors efficitur, ut sic per Spiritum Sanctum renovatus, deinceps bene vivere, & Dei mandatis obedire possit. Est 42.

II. In hominibus pœnitentibus ante Sacramentum absolutionis, & in Catechumenis ante Baptismum est vera justificatio, separata tamen à remissione peccatorum. Est 43.

III. Operibus plerisque quæ à fidelibus fiunt, ut mandatis Dei pareant, cujusmodi sunt, obedire parentibus, depositum reddere, ab homicidio, à furto, à fornicatione abstinere, justificantur quidem homines, quia sunt legis obedientia, & verè legis justitia, non tamen is obtinentur incrementa virtutum. Est 44.

NOTA XXIV.

1. Prima & secunda Propositio collectæ videntur ex libro Baii de justitia: quo penè integro non in alio ponit justitiam quâ justificatur impius, quàm improprie in remissione peccatorum, & proprie in obedientia legis seu mandatorum, nullâ factâ mentione illius gratiæ cujus meminit hæc prima Propositio cum canone XI. Tridentini sess. 6. Loca præcipua sunt cap. 3. ejusdem libri, ubi ait: *Justitiam hujus vitæ duabus constare partibus, Remissione scilicet peccatorum, & vitæ novitate*: ac tum addit cap. VI. *Imò si proprie loqui velimus, Remissio peccatorum justitia non erit, quia justitia proprie legis obedientia est: & mox infra: Vera legis obedientia, quæ est proprie justitia.*

2. Tum verò cap. VII. admittit, Catechumenum & pœnitentem posse habere hanc operum justitiam, adedque à parte rei justificari ante remissionem peccatorum; etsi nondum justus vocabitur, sicut qui per Pœnitentiæ vel Baptismi Sacramentum remissionem percepit peccatorum. Et hic est secundæ Propositionis error, tribuens homini ante remissionem peccatorum id quod in justificatione præcipuum; imò proprie solum est, juxta ipsius quidem Baii sententiam.

3. Tertia Propositio ex libro de justificatione cap. V. descripta est. *Ex iis operibus bonis, inquit, quæ à fidelibus non ob id fiunt, ut vel remissionem peccatorum, vel incrementa virtutum consequantur: sed solum ut Dei mandatis pareant, cujusmodi sunt obedire parentibus, depositum reddere, ab homicidio, à fornicatione, à furto abstinere: ex his inquam, operibus in Scripturis Sacris justificari dicimur, quia sunt legis obedientia, & vera legis justitia: non quia his obtinemus, aut remissionem peccatorum aut incrementa virtutum.* Hactenus Baius. Vix scias quid eum ad hunc errorem moverit. Quidni verò talibus operibus etiam obtineantur incrementa virtutum?

PROP. DAMN.

IV. Similiter illa quoque distinctio, duplicis justitiæ, alterius, quæ fit per Spiritum charitatis inhabitantem, alterius, quæ fit ex inspiratione quidem Spiritus Sancti cor ad pœnitentiam excitantis, sed nondum cor inhabitantis, & in eo charitatem diffundentis, quâ divina legis justificatio impletur, odiosissimè, & pertinacissimè rejicitur. Est 63.

V. Denique & illa distinctio duplicis vivificationis, alterius, quâ vivificatur peccator, dum ei pœnitentia, & vitæ novæ Propositum per Dei gratiam inspiratur, alterius quâ vivificatur verè, & palme in vite Christo efficitur, commentitia judicatur, & Scripturis minimè congruens. Est 64.

NOTA XXV.

Neutram harum Propositionum invenio in Baii libellis. Si conjecturæ locus est, fuerit aliquis, qui his distinctionibus responderit ad argumenta, quibus Baius errores suos (præcedentes & sequentes) circa justitiam & justificationem, adstruxerat: quas idè Baius hinc accer-

accerrimè rejicit. Ceterum utraque distinctio tam acriter ab ipso rejecta, non solum nullam merebatur censuram; sed etiam bona erat & utilis in primis.

I M P E R T I N E N S.

I. Ad Patres appellas? Ad Patres eatur: ait *Theologus ille de quo supra*, agens de questione nostra circa usum Matrimonii. Itaque ipso sic volente eatur ad Patres. *S. Ambr. l. 3. p. 16.* Sunt etiam ipsi quaedam tempora praescripta conjugio, quando dare operam liberis fit decorum: dum anni vigent, dum suscipiendorum liberorum spes est. Senes enim ab ipsa concluduntur aetate, & iusto intemperantiae pudore revocantur ab opere nuptiarum. *S. August. l. 3. contra Jul. c. 21.* Talis pudicitia (conjugalis) nec menstruatis, nec gravidis utitur feminis, nec ejus aetatis qua certum est eas jam concipere non valere. *Idem l. de Bono Conjug. c. 7.* Reddere debitum conjugale nullius est criminis, exigere autem ultra generandi necessitatem, culpa venialis. *Idem Enchir. c. 78.* quis autem jam esse peccatum neget (misceri conjugii ad devitandam incontinentiam) cum dari veniam (seu indulgentiam) facientibus, Apostolica auctoritas fateatur?

II. *S. Greg. Pontifex l. 12. Epistola undecima*, quam per modum Decretalis scripsit: Quod indulgeri dixit (*Paulus 1. Cor. 7.*) culpam esse demonstravit. *Idem l. 32. Moral. c. 17.* Ut hoc quod concesserat, sine culpa, quamvis minima, non esse monstraret, illico adjunxit: Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium. Non enim est sine vitio, quod ignoscitur, & non praecipitur. Peccatum profecto vidit, quod posse indulgeri praevидit. Item: Tunc solum conjuges in admixtione sine culpa sunt, cum non pro explenda libidine, sed pro suscipienda prole miscentur.

III. Num adhuc ad Patres ire libet, aut etiam ad Apostolum, cujus sensum unanimiter explicant Patres? Non existimo. Vel forte istam Patrum, Pontificum, ipsiusque adeo Apostoli sententiam arroderè ausit quisquam?

DE BAPTISMO ET ABSOLUTIONE SACERDOTIS.

P R O P. D A M N.

I. **I**N peccato duo sunt, Actus & Reatus. Transeunte autem actu; nihil manet nisi reatus, sive obligatio ad poenam. Est 56.

II. Inde in Sacramento Baptismi, aut Sacerdotis absolutione, proprie reatus peccati dumtaxat tollitur: & ministerium Sacerdotis solum liberat à reatu. Est 57.

III. Peccator penitus non vivificatur ministerio Sacerdotis absolventis, sed à solo Deo, qui poenitentiam suggerens & inspirans, vivificat eum & resuscitat: Ministerio autem Sacerdotis solum reatus tollitur. Est 55.

N O T A XXVI.

1. **H**Os errores tradit Baius libello de Oratione pro defunctis cap. IV. in eo autem siti sunt, quòd in peccato non aliud agnoscat, quàm Actum & Reatum poenae (nullum autem praeterea reatum seu maculam culpae) & hunc solum tolli doceat ministerio Sacerdotis: cum Tridentinum econtra insinuet, etiam ubi per contritionem perfectam fit justificatio ante Sacramentum, id tamen non fieri sine respectu ad Sacramentum, cujus votum in contritione includitur. Aded in Ecclesia peccatum Baptizatis non remittitur sine ministerio Sacerdotis in re vel in voto.

2. Verba Authoris sunt ista: In peccato duo continentur, Actus & Reatus. Actus, ut adulterium, sive foris in opere, sive intus in voluntate: Reatus verò, ut obligatio qua adulter nondum peccato remisso, adhuc aeternae damnationi obnoxius invenitur, etiamsi adulterium opere deseruerit

voluntate. Et aliquantò post; Deus enim per semetipsum intus voluntates fidelium ab actu peccati purificat: & per eos quibus dictum est: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, etiam eos à veatu liberat. Tum refert locum celebrem Augustini de Verbis Dom. ubi resuscitatio Lazari exponitur: ac denique sub finem Capitis denuò repetit: Deus igitur quamdiu in hac vita sumus, per semetipsum ab operibus, & per ministerium Sacerdotum etiam à reatibus peccatorum, non liberat.

P E R T I N E N S.

Circa Sacramentum penitentiae olim Lovanii disputantes vidi duos Viros doctos eandem questionem, quae nuper hic mihi accidit cum Theologo jam defuncto, nempe de significatione vocis Italicae, Convieni, quae utitur Pallavicinus in historia Tridentini, ad sess. 6. cap. 6 Satis jucundum erat, videre aquam utrique haerentem in argumento adversarii sui. Hic contendebat, vocem illam necessitatem significare, quia Cardinalis historicus eadem alibi utitur in hac periodo: Della fede, la qual Convieni che sia infallibile, i. De fide, quam oportet infallibilem esse: ubi certum est necessitatem significari, nisi Cardinalem fuisse dixerimus in errore postea damnato, de fide probabili. Adversarius verdè nesciens quid reponere, aliam Periodum ejusdem historici allegabat, hanc nempe. Non solo Convenga, mà si debba. i. Non solum conveniat, sed debeatur: ubi perspicuè solam convenientiam denotat vox illa. Nec scio quid primus unquam ad hoc responderit. Res erat, quod in aliis Thestibus diximus: nempe verbum illud, Convieni, significare necessitatem dum alteri verbo praepositur; secus autem si nulli. Verbo autem praefigitur in dictum locum Tridentini: Per quella penitenza, che Convien fare avanti al Battesimo. i. Per eam Penitentiam, quam ante Baptismum agi oportet.

DE SATISFACTIONE ET INDULGENTIIS.

P R O P. D A M N.

I. Quando per eleemosynam, aliaque pietatis opera Deo satisfacimus pro panis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis nostris offerimus, sicut quidam errantes autumant, nam alioqui essemus, aliqua saltem ex parte nostri redemptores: sed aliquid facimus, cujus intuitu Christi satisfactio nobis applicatur, & communicatur. Est 59.

II. Satisfactionis laboriose justificatorum non valent exipare de condigno poenam temporalem restantem post culpam condonatum. Est 77.

III. Solutionem poenae temporalis, quae peccato dimisso, supermanet, & corporis resurrectionem propriè, non nisi meritis Christi adscribendam esse. Est 10.

N O T A XXVII.

I. Primam Propositionem habet Baius disertè in fine libri de Indulgentiis, adversam planè doctrinæ Tridentini sess. 14. cap. 8. quam lubet exscribere, quatenus hoc punctum satisfactionis concernit. Neque verdè, inquit, ita nostra est satisfactio hæc, quam pro peccatis nostris exsolvimus, ut non sit per Christum Jesum. Nam qui ex nobis, tamquam ex nobis nihil possumus, eo coöperante qui nos confortat omnia possumus. Ita non habet homo unde gloriatur: sed omnis gloriatio nostra in Christo est: in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos penitentiae, qui ex illo vim habent; ab illo offeruntur Patri; & per illum acceptantur à Patre. Cujus Sanctissimæ Doctrinæ hæc summa est; nos quidem dignum pretium Deo pro peccatis nostris offerre, neque ideo tamen ex parte esse nostros redemptores, eò quod vim suam & dignitatem illud pretium ex nobis non habeat. Quod mirum est non placuisse homini, cui licuit eidem Concilio interesse.

2. Alteram Propositionem apud eundem non invenio, nisi quæ pendè eadem est cum ista superiore, Neque sic author satis vidit, unde operibus istius sua dignitas.

3. Tertiam

3. Tertiam tradidit item Baius lib. 1. de Meritis operum cap. IX. estque ejusdem erroris cum præcedentibus.

P R O P. D A M N.

Per passiones Sanctorum indulgentiis communicatas non propriè redimuntur delicta, sed per communionem charitatis, nobis eorum passiones impertiuntur, ut digni simus, qui pretio sanguinis Christi à pœnis pro peccatis debitis liberemur. Est 60.

N O T A XXVIII.

ET hanc Baius habet in dicto fine libelli de Indulgentiis. Eodem errore nititur quo præcedentes: nempe quod opera nostra vel Sanctorum, dignitatem eam non habeant, ut peccata redimantur.

I M P E R T I N E N S.

Idem Theologus defunctus de quo supra, ausus erat vocare nostram de circumstantiis aggravantibus consuetudinem sententiam, PERNICIOSAM. Mortuo non insultamus; ejus quoque Præpositi fecisse hac in re dicuntur quod jus erat. Rationem tantum refellimus cur diceret PERNICIOSAM: nempe quod inter Auctores non ubique conveniret, quenam circumstantiæ notabiliter aggravarent. Ad quod facile respondetur, nec ubique convenire Auctoribus, quæ circumstantiæ speciem mutant, multoque minus quid peccatorum numerum multiplicet, ut ipsemet ille ostendit eodem loco dictatorum suorum. Quis tamen dicat, Doctrinam Tridentini de confitenda specie & numero peccatorum, esse perniciosam?

D E S A C R I F I C I O.

P R O P. D A M N.

Sacrificium Missæ non aliâ ratione est Sacrificium, quam generali illâ, quâ omne opus, quod fit, ut Sancta Societate Deo homo inhereat. Est 45.

N O T A XXIX.

Collecta videtur Propositio ex libello Baii de Sacrificio, in cujus cap. II. definit Sacrificium generatim ex Augustino, Omne opus quod agitur, ut Sancta Societate inhereatur Deo, velatum scilicet ad illum finem boni, quo veraciter beati esse possimus. Tum in fine capituli V. postquam etiam Sacrificii Missæ mentionem fecerat, ait: Rectius igitur & Sacre Scripturæ conformius, Sacrificium cum D. Augustino sine speciali virtutis ratione intelligimus in omni opere bono, quod ad eum finem refertur, quo veraciter beati esse possimus: ac mox incipiens cap. VI. ita prosequitur: Quod si roges, cur Sacre Eucharistiæ confectio, præ ceteris Sacramentis, quæ etiam typica sunt, & ad hoc divinitus instituta, ut juxta Sacrificii definitionem, Sanctam aliquam actionem significent, eo fine peractam ut Deo Sancta Societate adhereatur; pijs fidelibus peculiariter nomine Sacrificii celebretur, quadruplex videtur ejus posse reddi ratio. Ex quibus omnibus author videri potuit, ipsum Missæ Sacrificium non aliâ ratione fecisse Sacrificium, nisi generali illâ: etsi rationes speciales addat, ob quas præ ceteris & quasi per excellentiam, passim Sacrificii nomine appelletur. Melius Theologi, qui definitionem istam Augustinianam Sacrificio generalius sumpto adaptant, aliamque assignant pro Sacrificio propriè dicto, quale est Sacro-Sanctum istud de quo agitur.

I M P E R T I N E N S.

Nil impertinentius esse potest, quam quod scribit Author Satyræ Flandricæ cui titulus: Den verleyden ende wegh-ghevoerden Joseph: nempe, Alexandrum VII. declarasse, Propositiones Amadæi Guemenii esse Regulas actionum Moralium, & gravissimorum scriptorum auctoritate, & perpetuo Catholicorum usu nitî; quas tamen Innocentius XI. melius informatus definivit esse pestes morum, perniciosam illarum doctrinam, & damnabilem illarum lectionem, usum, & praxim. Ita ille, ut inter se collidat duos hos Pontifices. Sed malè, & ut dixi, impertinentissimè.

E

Danz.

Damnavit quidem Guimenium, Innocentius, & quidem ad flammam, propter intolerabilem opinionum laxitatem, sed numquam enim probaverat Alexander: declarans tantummodo, ex illo libro & quodam alio quem nominat, perperam à quibusdam fuisse censuratas Propositiones aliquas, tum ad alias materias, tum ad actionum moralium Regulam pertinentes, quæ & gravissimorum scriptorum auctoritate & perpetuo Catholicorum usu nituntur. Ita Alexander: nequaquam eo pacto negans, fuisse in eodem libro alias Propositiones merito censurabiles (quemadmodum & ipse postea quasdam censuravit) ob quas tandem liber ille iussus sit ignibus tradi. Si scriptor ille scribendo talia, se bonæ causæ suppetias ferre existimet; hoc à me audiat: Non his auxiliis, non adjutoribus istis, tempus eget.

DE BONORUM OPERUM MERITIS.

PROP. DAMN.

- I. **N**aturali lege constitutum fuit homini, ut si in obedientia perseveraret, ad eam vitam pertransiret, in qua mori non posset. Est 6.
- II. Quod piè, & iustè in hac vita mortali usque ad finem conversati vitam consequamur eternam, id non propriè gratiæ Dei, sed ordinationi naturali statim initio creationis constituta iusto DEI iudicio deputandum est. Est 11.
- III. Nec in hac retributione bonorum ad Christi meritum respicitur, sed tantum ad primam justificationem generis humani, in qua legè naturali institutum est, ut iusto Dei iudicio obedientiæ mandatorum vita æterna reddatur. Est 12.
- IV. Opera bona à filiis adoptionis facta non accipiunt rationem meriti ex eo quod fiunt per spiritum adoptionis inhabitantem corda Filiorum Dei, sed ex eo, quod sunt conformia legi, quodque per ea præstatur obedientia legi. Est 14.
- V. Dicit rationem meriti non consistere in eo, quod qui benè operatur habeat gratiam, & inhabitantem Spiritum Sanctum, sed in eo solum, quod obedit divinæ legi: quam sententiam sæpius repetit, & multis rationibus probat ferè toto libro. Est 16.
- VI. Dicit sentire cum Pelagio, qui dicunt esse necessarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis sublimetur ad statum Deificum. Est 18.
- VII. Pelagii sententia est. Opus bonum circa gratiam adoptionis factum non est regni cælestis meritorium. Est 13.
- VIII. Dicit, opera Catechumenorum, ut fidem, & pœnitentiam ante remissionem peccatorum factam, esse vitæ æternæ merita, quam vitam non consequenter Catechumeni, nisi prius præcedentium delictorum impedimenta tollantur. Est 19.
- IX. Videtur insinuare, quod opera iustitiæ & temperantiæ, quæ Christus fecit ex dignitate personæ operantis non traxerint majorem valorem. Est 20.
- X. Celebris illa Doctorum distinctio, divinæ legi mandata bifariam impleri, altero modo quantum ad præceptorum operum substantiam tantum, altero quantum ad certum quendammodum, videlicet, secundum quem valent operantem perducere ad regnum æternum, hoc est, ad modum meritorium, commentitia est, & explodenda. Est 61.
- XI. Illa quoque distinctio, qua opus dicitur bifariam bonum, vel quia ex objecto, & omnibus circumstantiis rectum est, & bonum, quod moraliter bonum appellari consuevit, vel quia est meritorium regni æterni, eo quod fit à vivo Christi membro per spiritum charitatis, rejicienda putatur. Est 62.

NOTA XXX.

1. **P**er se patet totius hujus erroris systema, quem Assertor operosissimè adstruit libris de meritis operum præsertim secundo. Summa in eo consistit, quod ad meritum impertinens esse velit, quæ sit operantis dignitas, excellentia aut sublimitas, modò opus ipsum bonum sit & legi Dei conforme: ideòque titulus cap. III. ejusdem libri sic ait: Quod natura humana etiam Spiritu Sancto destituta, si Dei mandata illibate servaret, esset de præmio secunda: & titulus capituli VI. Quod opera pœnitentium non absurdè dici queant regni cælestis merita, etiam ut mox addit, sine prævia remissione peccatorum, adeòque antequam viva

sint membra Christi. Quæ omnia rursus mirum est ab eo dici potuisse, qui Trident. interfuit, à quo contrarium diseritissimè traditum fuit sess. 6. cap. 16. ubi de meriti ratione ex professò agitur. Cum, inquit, ille ipse Christus Jesus tamquam caput in membra, & tamquam vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutem insuat, quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, & comitatur, & subsequitur, & sine qua nullo pacto Deo grata & merita esse possent. Item canone 32. Si quis dixerit..... ipsum justificatum bonis operibus; quæ ab eo per Dei gratiam & Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, sunt, non verè mereri augmentum gratiæ, & vitam æternam anathema sit. Quibus locis non de nihilo Sacra Synodus diseritè meritum primò non ponit nisi in justificato; & deinde eundem utrobique vivum Christi membrum facit, ut plena meriti ratio habeatur.

2. Decepit vitum primò hæc ejus ratiocinatio cap. II. quod operi malo ex solâ deformitate operis mors debeatur æterna: igitur & bono operi ex sola conformitate cum lege debeatur vita æterna. Quasi nimirum tantumdem sufficiat ad bonum ac ad malum. Accessere loca quædam Augustini, quæ præsertim citat cap. III. ubi S. Doctor affirmat, naturam humanam si potest sibi sufficere ad implendam legem, perficiendamque justitiam, de vita æterna debere esse securam, etiam si fides eam lateat Sanguinis Christi: quia videlicet Deus esset injustus, si ad ejus regnum non admitteretur justus. Quæ loca objici non potuissent contra Catholicam Tridentini doctrinam, nisi Author malè intellexisset justitiam, & quidem perfectam, de qua loquitur Augustinus; eamque collocasset, juxta doctrinam suam alibi refutatam, in nuda obedientia mandatorum, contra aliam Tridentini doctrinam quam ibidem quoque exponimus.

I M P E R T I N E N S.

Est qui sic argumentetur: Ecclesia matrimonio jungit personas steriles ac effatas: ergo concedit eis uti matrimonio. Responde: Concedit hoc illis Secundum indulgentiam, sicut concessit Paulus. Indulgentia autem, ut supra dicentem audivimus D. Thomam, est de venialibus. Verum addit idem, ne Ecclesiam quidem tales monere, ne utantur conjugio, aut saltem ne debitum postulent: sicut monet, ait, obstrictos voto castitatis. B. frustra moneret, quod scit eos numquam servaturos. Adde quod solum quæstio sit de peccato veniali, secus quam in obstrictis voto castitatis: unde nec moneret etiam conjuges ne ob solam voluptatem commisceantur. Pluribus huic Theologo ad multa responderemus, nisi sciremus in proximo esse responsum alterius, non valatica, Thesi, sed operi permanentiori commissum.

DE MERITIS ANGELORUM ET PRIMI HOMINIS.

P R O P. D A M N.

- I. **V**ita æterna homini integro & Angelo promissa fuit intuitu bonorum operum. Et bona opera ex lege naturæ ad consequendam illam per se sufficiunt. Est 14.
- II. Nec primi hominis adhuc integri merita rectè vocantur gratia. Est 1.
- III. Et bonis Angelis, & primo homini, si in statu illo permansissent usque ad ultimum vitæ, felicitas esset merces, & non gratia. Est 3.
- IV. In promissione facta Angelo, & primo homini continetur naturalis justitiæ constitutio, quæ pro bonis operibus sine alio respectu vita æterna justis promittitur. Est 5.
- V. Naturali lege constitutum fuit homini, ut si in obedientia perseveraret, ad eam vitam pertransiret, in qua mori non posset. Est 6.
- VI. Dona concessa homini integro, & Angelo, forsitan non improbanda ratione possunt dici gratia. Sed quia secundum usum scripturæ nomina gratiæ, tantum ea munera intelliguntur, quæ per Jesum malè merentibus, & indignis conferuntur, ideo neque merces, quæ illis redditur, gratia dici debet. Est 9.
- VII. In redemptis per gratiam Christi nullum inveniri potest meritum bonum, quod non sit gratiæ indigno collatum. Est 8.

N O T A X X X I.

Multa horum conformia sunt aliis quæ suprâ refutavimus. Habet ea Baius sparsim per lib. 1. de Meritis operum. Præcipuus error est, quòd nolit auxilium primi hominis & Angeli.

rum propriè gratiam vocare : cùm tamen disertè sic vocet Augustinus de Corr. & Grat. cap. XI. *Quid verò Adam non habuit Dei gratiam ? Imò verò habuit magnam, sed disparem.* Item Ench. cap. 106. *Sine Gratia nec tunc ullum meritum esse potuisset.* Quod Baius citatè S. Doctoris Epistolâ 95. & de Verbis Apost. quodque eum decepit, nempe, quod quæ Angelis aut homini in sua creatione donata sunt, non improbanda ratione possent dici Gratia, non tamen juxta modum loquendi S. Scripturæ eo nomine vocentur ; id Augustinus de Facultatibus animæ, intellectu, voluntate & similibus intellexit, quæ malè à Pelagianis Gratia nomine vocabantur, uti ipsum textum consulentibus clarum fiet. Quod verò ibidem sequitur, Nomine Gratia eam solam intelligi, quæ per Jesum Christum malè merentibus & indignis confertur, hoc de Gratia hujus status dicit Augustinus, & quidem comprehendendo totam Gratia seriem, adeoque & eam quæ prima malè merentibus datur.

DE BONORUM OPERUM MERCEDE.

PROP. DAMN.

Opera bona justorum non accipient in die judicii ampliorem mercedem, quam justo Dei judicio merentur (alias mererentur) accipere. Est 15.

NOTA XXXII.

Habet hanc sententiam Baius lib. 11. de Meritis Operum cap. Finali : & probat, *Quia sic, inquit, vita eterna etiam in Angelis & homine si stetisset, fuisset donum Gratia.* Magnum incommodum scilicet !

DE POENA PECCATI VENIALIS.

PROP. DAMN.

Nullum est peccatum ex naturâ suâ veniale, sed omne peccatum meretur pœnam æternam. Est 21.

NOTA XXXIII.


Docet hanc idem cap. VIII. mox citati libri, primò quidem quasi disputativè, sed in fine planè assertivè. Ut probet, plura adfert quorum solutio difficilis quidem interdum, sed ramen apud Theologos pervulgata est. Unum est argumentum ex Augustino, quod suâ infirmitate docere omnes potest, quàm fuilia interdum apta sint viros magnos in errorem inducere. Proponam illud ipsius verbis. *Unde Augustinus, inquit, Quis cum aliqua specie adipsiscendæ salutis æternæ de hac vita migraves, manente illâ sententiâ, quod quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus : nisi post paululum sequeretur : sic loquimini, & sic facite, tamquam per legem libertatis incipientes judicari. Judicium enim sine misericordiâ illi, qui non facit misericordiam. Superexaltat autem misericordia Judicium. Si enim sola crimina, suâ naturâ à regno cœlorum excluderent, tunc omnes Sancti, qui de hac vita sine criminibus exeunt, cum certissima salutis spe demigrarent. Ita ille. Quasi non & Sancti quique merito in exitu vitæ trepident, quia delicta quis intelligit ? Et, nescit homo utrum odio an amore dignus sit.*

CONCLUSIO.

Neminem malè habebit hæc opella nostra : nisi quem vel nimium uret accusatus Baius, vel defensus cum Schola sua Augustinus, vel justificata S. Sedis. Atqui nobis sufficit, si ceteris omnibus saltem proberetur. Eam verò non solum Ecclesiæ, ejusque visibili in terris Capiti, omni cum devotione & subjectione submitto, sed etiam doctis omnibus examinandam, ac si opus sit, eadem modestiâ quâ scripta est, reprehendendam propono ; paratus humiliter emendare, quod fortè ignoranter peccasse potui. Longè me doctior (adde etiam & melior) Baius fuit ; & tamen errasse eum, post Sanctos Doctissimosque Pontifices ostendere ausus fui.

FINIS.





Theles
Doctorū
Academia
Lovan.

Th
2170